



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

464. Quid sint decimæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

præscripserint isti regulares. Bass. *ibid.* citans Azor. *ubi ante cit. q. 13.* & Fagund. *loc. cit.*

7. Sextò, quæ offeruntur Clerico rem divinam facienti in aliqua parochia de jure, vel etiam de ordinariè ferè & communiter recepta consuetudine spectant ad parochum, seu Rectorem illius Ecclesiæ, in qua celebrat; vel ad alium Sacerdotem, ad cujus jurisdictionem altare spectat, modò non tradantur isti Sacerdoti tanquam stipendium sui laboris; tunc enim ad illum spectant. Bass. *l. cit. ibidem* citans Regin. *l. 19. n. 85.* & Azor. *d. q. 13. Barb. n. 28.* citans Carat. *ubi ante. c. 13.* qui tamen *ibidem in fine* ait: oblationes, quæ fiunt in missa de sponso, quæ celebratur à parochio in aliena parochia, cedunt celebranti, cum ejus contemplatione dentur. De cetero in his omnibus servanda consuetudo, siquæ in quibusdam locis est alia legitime præscripta. Bass. remittens ad Suar. *tom. 1. de relig. tr. 2. c. 7.* Filiuc. *tr. 27. p. 2. n. 139.* Illarianum, Socinum. &c.

8. Porrò quod dictum hucusque fuit, spectare istiusmodi oblationes ad parochum, id limitandum juxta paulò ante insinuata, ut id solum locum habeat, dum oblationes in Ecclesiis, Sacellis, vel ad imagines factæ ex piorum offerentium voluntate non destinantur ad certum usum, puta pro missis legendis, fabrica, vel ornamentis; solum enim in dubio, seu ubi talis certa destinatio offerentis non accessit, aut de ea non constat expressè, vel adnuculariter aut conjecturaliter, spectant ad parochum, aliàs dicta voluntas præcisè servari debet, ut pote cuicumque dispositioni juris prævalens. Card. Luc. *d. 19. de decim. n. 9.* Barb. *num. 30.* citans Matzsch. & Riccium, *ubi ante.*

9. Præterea in specie quo ad oblationes factas imagini alicui, hoc ipsum ulterius sic limitandum, ut procedat in oblationibus modicis; non verò in magnis, seu etiam in minutis, quæ tamen ob nimiam frequentiam magnæ quoque dici merentur; eò quòd talis quantitas vel frequentia oblationum concursusque populi verisimiliùs præferat voluntatem devotorum offerentium ea potius in fabricam, ornamentum vel dotem Capellæ, vel Ecclesiæ, in qua sita imago, vel ut nova construatur illius honori Ecclesiæ; uti praxis docet, dum ex talibus initiis sumptuosissimæ surrexerint Ecclesiæ, quàm ad impinguandum Rectorem Ecclesiæ, aut donandum ea Episcopo, atque ita supradicta regula adjudicans eas oblationes parochio non est generalis determinata, ut præcludat super his Ordinarii arbitrium, ita bene regulatum, ut in eodem loco imaginis nova construatur Ecclesiæ. Card. de Luc. *de paroch. d. 32. n. 5. de jurep. d. 12. n. 10. de decimis, d. 19. n. 9. & seq.* ubi tamen *num. 11.* hæc restringit ad imagines de novo repertas, aut etiam ad antiquas, ad quas ob recenter facta quædam miracula vera vel opinata populus incipit concurrere: si enim, ut inquit *num. 13.* agatur de antiquis Ecclesiis, vel imaginibus, ad quas ex longa jam consuetudine à pluribus annis populus cum elemosynis vel oblationibus annuatim solet concurrere, tunc istas oblationes & elemosynas adhuc spectare ad parochum seu Rectorem tanquam fructus, si ex eo longo usu sint quasi certæ & uniformes: de cetero tamen parochus non habeat intentionem fundatam ad effectum, ut tunc eas oblationes convertat in proprium, dum impendi debeant in usum à largientibus destinatum; adhuc tamen administratio earundem, dum in certum

usum eroganda sunt, spectabit ad solum parochum. Barb. *ibidem* citans Abb. *in c. pastoralis. de his, que fiunt à Pralat. n. 2.* Ferret. *conf. 143 num. 4.* Ita tamen, ut prohibendus non sit Episcopus, si ex dispositione juris communis, cum dicatur parochus parochorum, si ex dispositione Trid. *sess. 22. c. 8 & 9.* ut rationes administrationis debeant ei reddi, atque superintendentiam quandam habeat. C. de Luc. *d. 19. de decim. num. 12.* Denique in his omnibus tam quoad punctum administrationis istiusmodi oblationum, quàm quoad jus eas percipiendi, & in tota hac oblationum materia plurimum admittenda & observanda est consuetudo legitima & præscripta, si quæ est in diversis locis diversa. Barb. *loc. cit. n. 31.* citans Riccium, *ubi supra n. 9.* Gratian. *discep. for. c. 395 n. 25.* Bass. *l. cit.* remittens ad Suar. *ubi supra c. 7.* Filiuc. *tr. 27. p. 2. nu. 139.* Socinum *de oblat. l. 18. n. 17. 18. & 26.*

#### Quæstio 464. Quid sint decima?

**R**espondeo: decima, de quibus jus canonicum *l. 3 tit 30.* sunt pars decima fructuum, debita ministris Ecclesiæ ob ministerium spirituale. Bass. *v. decima. n. 1.* & jus decimandi est jus ab Ecclesia concessum ob ministracionem divinorum percipiendi & exigendi decimam partem fructuum. Ita ferè Barb. *de off. parochi. c. 28. num. 5.* ex D. Thom. *2. 2. q. 87. a. 3.* Solet de cetero decima sumi quandoque pro ipso jure percipiendi fructus decimarum, licet ordinariè importet ipsam perceptionem, seu ipsos fructus, qui decimarum nomine capiuntur. Barb. *§. 2. nu. 1.* ex D. Thom. *loc. cit.* & hoc secundo modo acceptum constat esse, quid mere temporale, utpote formaliter consistens in ipsis rebus seu fructibus temporalibus.

#### Quæstio 465. Quotuplices sint decima?

1. **R**espondeo primò: decima, seu jus decimandi aliud est profanum & merè laicale, ortum ducens ex eo, quòd Domini merè temporales datus prædiis suis in usum fructum, feudum, vel Emphyteusiu loco tributi, pensionis annuæ vel canonis imposuerunt decimam, vel aliam partem fructuum pendendam, aut per speciem collecta seu contributionis indixerunt subditis suis. Card. de Luca *de decim. d. 6. n. 8.* Laym. *Theol. moral. l. 4. tr. 6. c. 2. n. 5.* ex Gregor. Tholos. *in synag. juris. l. 2. c. 20.* Aliæ sunt Ecclesiasticæ, quarum iterum alia, quæ nimirum primævam suam institutionem retinentes, Ecclesiæ ministris ob spirituales eorum functiones stipendii loco à fidelibus præstantur, ideoque propriè spirituales & Ecclesiasticæ dicuntur; alia verò, quæ à titulo spiritualis officii separata ex concessione Ecclesiæ ob justam causam laicis personis obveniunt, ideoque laicales etiam decimæ appellari solent, longè tamen à prioribus istis laicibus distinctæ. Laym. *loc. cit.* Porrò in dubio, utrum decimæ profanæ sint, an Ecclesiasticæ, secundum primam originem & jus radicale præsumuntur Ecclesiasticæ & spirituales inter Christianos, adeoque intrat consuetus effectus præsumptionis transferendi nimirum onus probandi in adversarium. Laym. *n. 6.* C. de Luc. *l. cit. num. 17.* juxta plures Rotæ decis. ibi citatas, & Bald. *l. 1. consil. 419.* quamvis, ut C. de Luc. *ibid. n. 11. & 12.* ex eo, quòd possunt esse merè profanæ, hæc possibilitas sufficiat ad tollendam vehementem illam juris resistantiam (vi cujus aliàs non sufficit possessio sine